



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

VII. Quomodo intentio influat in electionem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

deliberatiua, quæ ad hanc collationem se extendit, & ideo maiora attingit, & maiora persequitur, quàm imaginatiua. Pulchram rationem adducit Aristoteles, quia opinionem non videtur habere imaginatiua, quia non habet notionem illam, quæ ex syllogismo nascitur: hæc autem, videlicet deliberatiua, illam, scilicet opinionem, & notionem syllogisticam habet. En Aristotelis verba clare, & perspicue explicata, quibus nihil meminit Aristoteles ex his, quæ ad nostram questionem attinent.

14 Obicit secundò Vasquez D. Th. 2. q. 13. art. 6. dicentem: totam rationem electionis provenire ab intellectu, tanquam à iudice, eo quod intellectus possit in quocumque medio inuenire rationem mali, & boni: ergo sentit voluntatem posse repudiare medium, nisi in illo inueniat aliquam rationem mali; si autem voluntas posset minus, aut æquale vtile eligere, posset nulla in medio inuenta ratione mali, illud repudiare. Respondeo optimam esse doctrinam Angelici Doctoris, quæ docet voluntatem non posse repudiare medium, quin in illo rationem aliquam mali inueniat; ex hoc tamen non inferitur, quod intendit Vasq. quia etiam ratio mali requiritur, vt voluntas non feratur necessariò in medium, quod illi vt bonum est propositum, quia bonum, quod sine admixtione mali apparet, necessariò voluntatem trahit, non ex hoc inferitur voluntatem teneri respicere id, quod magis malum & minus bonum apparet, & eligere maius bonum, quia posita bonitate, & malitia in obiecto, quam intellectus cognoscat, liberum est voluntati illud amare, vel odio habere, etiã malitia bonitatem excedat, aut contra, quia excessus ille non reddit subiectum summè bonum, neque summè malum, quod enim habet mixturam boni, aut mali neutrum in summo habere potest. Hac ratione eleganter subdit S. Thomas, postquam dixerat electionem esse liberam propter rationem dictam, & amorem beatitudinis necessariū esse, quia in beatitudine nulla mali ratio potest apparere. Aliud argumentum desumit Vasquez ex eodem articulo, vbi obiecit Angelicus Doctor casum, quo vtrumque medium æquè vtile apparebat, in quo voluntas non potest eligere, & respondet ad 3. voluntatem adhuc manere liberam ad electionem, quia potest consultare de mediis, quousque vnum vtilius appareret: quod si voluntas posset æquè bonum eligere, necessum non erat ad consultationē recurrere, sed diceret Angelicus Doctor, tunc voluntatē liberam esse ad eligendū alterum ē duobus mediis æquè bonis. Respondeo cum Caietano: Angelicum Doctorem hic curasse de argumento soluendo, non verò de veritate antecedentis: an videlicet in illo casu voluntas proximè abique noua consultatione libera esset ad eligendum hoc enim necessarium non erat, ad solutionem argumenti, neque illa, quæ ad solutionem argumentorum necessaria non sunt, rectè adducuntur, præcipue si sub opinionem cadant, quibus in aliam, & aliam questionem inciditur, & perennis fit argumentatio.

15 Arguit tertio, pro sua opinione: Electio supponit consultationem, quia non tantum inquiritur mediolorum vtilitas absoluta, sed respectiva vnius præ alio, ideo electio appetitus præconscripti dicitur: ergo electio semper fertur in id, quod melius apparet, alioquin ad quid requireretur consultatio aut consilium, quod voluntas non esset amplexura, & à quo electio non proveniret: consilium enim proponit, quod melius est. Vnde si minus bonum eligat voluntas, illa electio ex consilio non dimanabit. Resp. electionem supponere consultationem, quia inquiritur quid vtile, & quid vtilius, nihilominus non inferitur, voluntatem teneri vtilius eligere, quia hæc consultatio non requiritur, vt voluntas teneatur; sed vt possit, quod melius est eligere, & vt eligat, quod pro sua libertate maluerit; & quocumque electo medio, electio ex consilio dimanabit, quia si minus vtile eligatur, electio procedit ex cognitione, quæ dicebat illud medium habere aliquam vtilitatem, & sufficientem ad finem, quæ cognitio pars est consultationis, & ad consilium requisita, si illius pars non sit, & omisso electionis medij vtilioris libera sit per cognitionem illius, quæ representabatur medium vtilius, ac proinde adhuc hæc cognitio medij vtilioris conducit, vt electio minus vtilis sit magis libera hoc est, vt medium minus vtile præ magis vtili liberè eligatur. Adde, quod etiam si semper voluntas iudicio consultationis, seu consilio obtemperaret, aliquando posset consultationem concludere, vtrumque medium esse æquè vtile, & quodlibet

pro libito eligi posse, quo casu libera maneret voluntas ad eligendum medium æquè bonum.

Arguit quartò. Minus vtile, vt minus vtile est non habere rationem boni, ac proinde non posse eligi sub hac ratione. Solui hoc argumentum, dum quid questionis explicauit, quia dum dicimus eligi minus vtile, non dicimus rationem formalem mouendi voluntatem esse carentiam vtilitatis, quæ formaliter medium constituitur in ratione minus vtilis, sed vtilitatem positiam, quæ per negationem alius sibi adiunctæ minor denominatur, illa verò vtilitas rationem habet bonitatis, & amabilitatis respectu voluntatis.

PUNCTVM VII.

Quomodo intentio influat in electionem.

1 Consultò difficultatem hanc hucusque soluendam reliqui, quia ex principiis suprà traditis, illius sumpturus eram resolutionem. Explicuiam, quam connexionem habeat intentio efficax cum electione, quando hæc liberè, quando necessariò connectatur cum effectu. Ex quo facile erit dirimere an hæc connexio sit per modum principij physice influentis, an verò per modum principij moraliter determinantis.

2 Circa primam difficultatem: intentionem effectiue concurrere ad electionem docent Vasquez 1.2. disp. 33. cap. 4. n. 21. Salas 1.2. q. 8. tract. 6. disp. 5. sect. 6. n. 94. S. *Ex primo probabilius*, Ruizius 1. de prouident. disp. 36. sect. 5. n. 12. vbi plures pro hac opinione refert, qui pro illa sine examine admittendi non sunt, cuius rationem dedi.

3 Intentionem non concurrere ad electionem docent Thomistæ apud Vasquez suprà, Valent. Hispal. & Dur. citati suprà, dum asserunt primum actum intentionis non permanere, quando elicitur secundus, qui est simul intentio, & electio, quam opinionem amplector propter rationem, quam subicio. Sufficiens principium est ad producendam electionem voluntas: ergo non requiritur intentio, tanquam principium electionis. Antecedens probò: intentio producit abique alio actu illam præcedente tanquam principio effectiuo illius: ergo eodem modo poterit electio produci. Dices electionem dependere ab intentione, & hac ratione illa indigere tanquam principio productiuo. Fateor, electionem pendere ab intentione, sed fundamentum, aut necessitatem physicam non inuenio, vt physice dependeat, sicut enim dependentia volitionis à cognitione subsistit sine dependentia physica, cur dependentia electionis ab intentione non poterit eodem modo subsistere? non enim ex eo, quod intentio ad electionem determinet, licet influxum physicum intentionis in electionem inferre, cognitio enim bonitatis obiecti, si sit sine alia cognitione, quæ obiectum appareat sub aliqua ratione mali, voluntatem necessariò determinat ad amorem, & tamen in actum amoris necessariò non influit.

4 Secundò, ex modo, quo intentio ad electionem determinat, physicum illius influxum impugno. Si ex aliquo capite influxus physicus intentionis in electionem posset requiri, vel inferri, esset quia intentio determinat ad electionem, hæc determinatio fieri nequit sine influxu physico: sed quando occurrunt plura media eligenda, intentio non determinat ad electionem huius, potius quam illius, sed voluntas pro sua libertate ad hanc, vel ad illam intentionem se determinat: ergo influxus intentionis non requiritur, vt electio ab intentione determinetur. Dices intentionem determinare ad hanc, vel ad illam electionem sub disunctione, quod præstat per influxum physicum. Contrà: determinatio sub disunctione ad electiones diuersorum mediolorum non potest fieri per influxum physicum, quia hic semper est determinatus respectu talis effectus, & indifferens non est ad hanc, vel illam electionem, sicuti est ipsa intentio, quæ cum electione huius, vel illius medij coniungi valet: ergo ex hac determinatione intentionis ad electionem sub disunctione talis influxus necessarius non est. Hæc ratio probat intentionem non influere in electionem, quando occurrunt plura media: quando verò vnum occurrit, & electio est necessaria à paritate rationis probandum est.

5 Demum si intentio concurreret effectiue ad electionem quia ad illam determinat, eodem modo deberet concurrere cognitio,

cognitio, quā mediū repræsentatur vt necessariū ad finem obtinendum, quia vt dicebam suprà intentio non infert necessitatem electionis sine hac cognitione: ergo determinatio, & necessitas electionis aequè nascitur ab intentione, & à cognitione necessitatis mediij: ergo ex hoc capite aequè infertur influxus actiūs intentionis, & cognitionis necessitas mediij in electionem: sed nullus ex hoc capite dicitur cognitionem necessitatis mediij influere in electionem: ergo neque ex illo influxus iste cognitioni tribuendus est.

- 6 Ultimo tota ratio electionis, & intentionis, & optimum caput distinctionis inter vtrumque actum, & dependentiæ electionis ab intentione sine hoc influxu reperitur: ergo hic influxus necessarius non est. Antecedens probatur quia electio semper respicit medium amatum propter motuum intentionis, & pura intentio, tantum respicit finem, & non medium. Neque ad hoc vt electio intentionis motuum respicit physica dependentia necessaria est, quia assensus conclusionis obiectum respicit formale præmissarum, à quibus physicè non dependet, & actus voluntatis respicit obiectum propositum per cognitionem, à qua physicè non dependet: ergo sine hac dependentia physica optima reperitur distinctio inter intentionem, & electionem: reperitur etiam dependentia, quia sicut assensus præmissarum præcedit assensum conclusionis, & conclusionis assensus supponit necessariò assensum præmissarum, & non potest esse independenter ab illo, quod fit absque illo physico influxu, sic intentio potest supponi ad electionem, & electio supponere intentionem (si dicatur intentionem, & electionem necessariò distingui) ita vt non possit existere electio, quin intentio præcesserit, & totum hoc sine influxu physico subsistat. Quod si dicatur vt ego affirmo, omnem electionem esse necessariò intentionem, electio non procedet necessariò ab intentione, differet tamen intentio, quæ simul est electio à pura intentione: quia pura intentio media non respicit in particulari, intentio autem, quæ simul est electio, finem respicit, & medium in particulari eligendum; insuper differunt ex eo, quod pura intentio potest voluntatem determinare & de facto illam determinat ad alium actum, qui simul est intentio, & electio, hic tamen actus, qui rationem intentionis, & electionis habet non potest ad puram intentionem determinare.

PUNCTUM VIII.

Quomodo differat intentio efficax ab efficaci.

- 1 Explicui quid sit intentio, & quomodo ab electione differat. Explico modò rationem peculiarem, qua intentio efficax ab inefficaci distinguitur, & qua formaliter intentio in ratione efficacis constituitur. Huius efficacitatis naturam, neque in se, neque in causis cognoscere possumus, cum nullam supponat causam necessariò cum illa connexam, consistit enim in ipsa intentione, quæ in se formaliter est libera, & provenit à principio adæquato indifferenti ad ipsam & ad negationem eiusdem, quapropter non nisi à posteriori huius efficacitatis naturam venari possumus, ideo ultimo loco postquam omnes illius effectus noverimus, illius notitiam exhibere placuit.

- 2 Quidam efficaciam intentionis in intentione constituent, quorum sententiam omnes Scholastici nostri temporis reiciunt; plures enim intense valde finem amant, inefficaciter tamen, quia illius difficultatibus ab ipsius executione retrahuntur, vt patet in infirmo, qui ardentissimè sanitatem desiderat, quia tamen ad illam obtinendam medium est necessarium brachij amputatio, quæ illi valde dura esset & laboriosa, sanitatem efficaciter non amat, neque ad illam obtinendam medium applicat. Adde intentionem Dei propriè non dici intensam, neque remissam, dici tamen efficacem, & inefficacem. Affirmabant alij voluntatem efficacem esse illam, quæ fertur in rei executionem, seu in rem, prout executioni mandadam, quam sententiam videbatur insinuasse P. Vasquez 1.2. disp. 43. num. 24. non tamen illi consentit quia complacentia, seu intentio inefficax in ipsam executionem fertur: quando enim mihi inefficaciter amo sanitatem, illam pro vt mihi coniungendam, & in me exercendam, amo, & quando inefficaciter ludum intendo, in ipsum ludendi exercitium inefficaciter feror.

Dicebant alij: intentionem inefficacem obiectum conditionatum respicere, quam opinionem impugnatur Vasquez 1.2. disp. 42. c. 3. quia putat voluntatem nunquā ferri in obiectum conditionatum. Quidquid sit de possibilitate voluntatis respicientis conditionatum obiectum displicet hæc sententia, quia si possibilis est volitio respiciens conditionatum obiectum, plures huiusmodi volitiones efficaces sunt. Volitio enim quæ ego dico, volo sanitatem obtinere si aliquid medium ad illam acquirendam, etsi difficultissimum possibile est, volitio est conditionata, & necessariò inferret purificatā conditione executionem finis, durante enim hac volitione, non poterit voluntas alius potius applicare medium aliquid probabiliter ad sanitatem conducent, illud non applicare. Secundo plures sunt volitiones absolute inefficaces tamen, Deus enim absolute vult salutem omnium hominum, non tamen omnium efficaciter, & homo absolute appetit sanitatem non tamen efficaciter, quia difficultate acquisitionis illius retrahatur ab executione mediorum.

Affirmant alij: intentionem efficacem explicari verbo *volo*, inefficacem verbo *vellem*. Hæc opinio vel coincidet cum opinione suprà impugnata de obiecto absoluto, & conditionato, vel nihil dicit, & quocumque modo intelligatur, sustineri nequit, quia si illius auctores dicant conceptum illum obiectum correspondentem verbo *vult*, tantum deferuire ad explicandum alium, in quo consistit ratio formalis intentionis efficacis; rem sane obscuram per obscuriorem explicant, & nobis non ostendunt naturam intentionis efficacis, & inefficacis; si verò affirmet in ipso consistere rationem formalem actus inefficacis, manifestè conuincuntur, quia verbum *vellem*, non dicit formaliter actum, qui est, sed qui esset, quia cum ego dico: si hoc fecisses, vellem ego hoc tibi dare, non dico me modò velle inefficaciter, sed fore vt vellem, si conditio illa accessisset, quod nihil absolute existens significat, neque actus voluntatis, etiam si obiectum conditionatum respiciat rectè explicatur per verbum *vellem*, sed *volo*, sicuti actus intellectus terminatus ad obiectum conditionatum non dicitur actus, quo cognoscerem, sed quo cognosco obiectum, quod esset. Ex quo inferitur, volitionem inefficacem non posse consistere in actu significato per verbum *vellem*, sed per verbum *volo*, quia intentio inefficax non tantum existeret, sed actu existeret, & per illam voluntas absolute amat obiectum.

Affirmo intentionem efficacem, esse illam, quam robustam vocauit August. & à parua, hoc est, ab inefficaci distincta, lib. de gratia, & libero arbitrio c. 7. illam scilicet, quæ necessariò coniungitur cum electione mediorum necessaria ad finem obtinendum; intentionem verò inefficacem esse illam, quæ coniungi potest cum negatione electionis requisitæ ad media eligenda: ita Vasquez c. 4. cit. Salas 1.2. tract. 6. disp. 13. art. 6. Angelus in moralibus c. 3. §. 3. Probat ex dictis suprà, vbi probaui intentionem efficacem inducere necessitatem electionis requisitæ ad positionem mediorum, quod proprium est intentionis efficacis, quæ intentione efficaci id non impedit, vt certum est, postquam enim quis inefficaciter finem intendit indifferens ad media eligenda vel non eligenda, nullam incurrit necessitatem electionis necessariæ exhibendæ, quamcumque requisitæ ad finis executionem.

Alia in me incidit dubitatio. An videlicet inter intentiones efficaces detur vna formaliter efficacior alia. Quam quæstionem nondum apud aliquem legi. Inquiri an detur vna voluntas formaliter efficacior, quia materialiter loquendo parum quæstionis esse poterat; quia cum intentionis efficacia in actu primo non distinguitur ab ipsa intentione, & quod intentio fuerit intensior, dici poterit efficacior in actu primo, quod ego voco intentionem materialiter efficacior. Inquiri de efficacitate formali intensiori, seu maiori, si intentionis nomen non admittat, vbi non est additio gradus ad gradum, hoc est, an duplex intentio vtraque efficax, vtraque intensior vt quatuor possit esse inæqualiter efficax, ita vt hæc intentio aliam vincat efficacitate?

Pro negatiua parte stat prima concipiendi ratio quæ non parum roboris videtur habere, & sic primò omnibus occurrit. Nulla intentio efficax cuiuscumque sit intentionis vel remissionis, potest coniungi cum negatione electionis requisitæ ad finem: ergo omnis intentio habet æqualem connexionem cum fine: ergo ex omni intentione æquè